Q. F. F. Q.

DISSERTATIO POLITICA,

DE

PEREGRINATIONE,

Quam

PRAESIDE

Nobilissimo, Praeclarissimo, Doctissimoque Domino

M. GODOFR. SCHOENING,

JACOBSH. POM.

Conterraneo honoratissimo, Fautore atque Amico maxime colendo,

In Inclyta ad Albim Academia,

publico Eruditorum Examini

In Auditorio Sapientum,

Ad diem 17. Aprilis ANNO Aere errantis cIↃ IↃC IIIC.

Horis matutinis

submittet

AUCTOR & RESPONDENS

JOHANNES HARDER,

Lassano-Pomeranus.

VITEMBERGAE,

Per CHRISTIANVM SCHROEDTERVM, Acad. Typ.

Digitized by Google

PROOEMIUM.

PEDituro mihi industriae quoddam specimen, nihil magis curae fuit, quam ejusmodi sumere materiam, quae huic tam erudito tamque illustri Auditorio, ex parte esse posset oblectamento: Probe enim novi, hoc vergens atque inclinans Seculum, in qvo, Dei beneficio, adhuc versamur, non nisi egregie eruditis, vel (ut dici solet) *curiosis* delectari. At enim vero in felicem hac in re me fuisse, non diffiteor, quippe qui, ex ingenii tenuitate, cujus probe conscius sum, cum alias etiam mecum habitare didici, ejusmodi *Thema*, quod eruditis oculis dignum esset, invenire non potui. Post multas autem, variasqve tandem cogitationes, dicam an voluationes animi, hoc, quod Dissertationis exhibet frontispicium, omnibusqve obvium *Argumentum* mihi arrisit, partim quia ab Adolescentia ad hanc usqve aetatem, ob Parentum nimis maturum obitum, me inter peregrinos versari oportuit; partim etiam quia adhuc mihi peregrinatione nihil jucundius videtur, quid? quod etiam non prorsus sterile & omni consideratione indignum judico, cum omnino etiam pertineat ad *prudentium curam*, nosse peregrinationis rationes. Sed ne justo diutius in *Proœmio* me detineam, nunc rem ipsam sum aggressurus. Ante vero quam id fiat, Numen supremum veneror, ut conatibus meis adesse, atqve huic instituto ex alto velit benedicere. Fiat feliciter!

§. I. Ut itaqve ad institutum veniamus *Nominis* rationem omnium primo habeamus necesse est, atqve observandum ex Varrone illud à *pergendo*, i. e. progrediendo derivari. Quam etiam derivationem non omnino incommodam esse, censemus: Si quidem illud peregrinum dicere consuevimus, quod à quotidianis nostris differt, & quod apud nos videre soliti non sumus, sed ex aliis locis ad nos est tralatum atque advectum. Quo sensu apud Altensteig: *Peregrina sacra* dicuntur, quae ex aliis urbibus religionis gratia sunt advecta. Ita etiam *arma Romana* peregrinari dicuntur cum in longissimis locis absunt. Melior tamen illorum sententia vide-

Lib. 4 de LL.

in Lexic. Theol. p. m. 676. & Calov. p. 975. Vide L. 4. c. 1. p. 331.

videtur, qui hoc Peregrinationis ἔτυμον à *peragrando* deducunt, ita ut peregrinor significet agros obeo, per aliena loca peragrans proficiscor & non sum in patria, unde 2. Cor. V. *Fideles* dicuntur peregrinari à Domino, quod nondum fruantur intuitiva Dei visione & extra patriam cœlestem adhuc versentur. Ut proinde *Peregrinatio* vi nominis nihil aliud sit, quam aliarum Provinciarum regionumq; peragratio seu perlustratio.

§. II. Sed non uno tamen modo vocabulum Peregrinationis apud Auctores accipitur. Sumitur enim à nonnullis haec vox *late* nimis, *impropriè* atqve *abusivè* pro itinere erudito, quando scilicet nonnulli (1) Studio *Geographiae* inhaerent, ac mentis cogitationibus peregrinantur, circa amœnas oras vagantur, quin in universum terrarum orbem expatiantur: Vel (2) *Historias* aut literas publicas, quas vulgo *Novellas* vocamus, legunt, ubi etiam quidem in Musco sedent, in multas tamen Provincias peregrinantur: Oculos in chartis defixos habent, Reges tamen, Principes ac Duces contuentur: in quiete sunt, nihil etiam audiunt, omnia tamen, qvae in Principum conclavibus, Ducum tabernaculis, Legatorum, sive *primi*, sive *secundi* Ordinis, congressibus aguntur auribus accipiunt. Qua de re prolixius egit Weisius, Magnus ille Didacticus Zittaviensis. Cui acceptioni non absimilis etiam est, quà peregrinationem auribus, quae rem non audiunt, nec attendunt, tribuit Cicero, inquiens: An vero tu solus ignoras? tu hospes in hac urbe versaris? tuæ peregrinantur aures? neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur? Deinde peregrinationis vocabulum nonnunquam exilium notare invenimus. Si enim rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, non multum à peregrinatione differt.

in Orat. Polit. P. I. p. m. 71. seqq.

Orat. pro Milone in Praef. lib. 4.

§. III. Ad quam significationem facit, qvod *Conjugatum* peregrinus in Codice Justinianeo nunc pro deportato accipiatur, nunc vero pro eo, qui oberrat, nec certum aliquem locum habet, in qvo commoretur. Apud Romanos vocabantur omnes, qui cives Romani non erant *Peregrini*, unde & *peregrinitas* dicebatur, cum jus civium amitteretur, eosdemqve olim vocabant *hostes*. Nam *hostis* ut Auctor est Varro & Cicero apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum vocamus & is qui hostis nobis audit,

Ulp. tit. 5. instit. §. 6. de Hered. inst. vid. Suet. ad 5. in not. p. m. 497. L. 4. Off. vid. Beem de Or. LL. p. 201

audit, perduellis nuncupabatur. Exempla hujus notationis suggerit Plautus, satisqve ea commoda videtur, si derivationem Scaligeri, qui hanc vocem à Graeco ὅσις derivat, admittamus. Praeterea dicebatur etiam Peregrinus *hospes*, ab eodem flexu *Aeolico*, ὅσις ὁ-ως, ut σπόδιον ἀπάδιον. Sed *proprie* peregrinus notat eum, qui multos agros peragrat, qui procul à patria agit, & extra solum patrium vagatur. Et sic peregrinatio etiam non eam, qvae mente, sed quae corpore simul peragitur, significat. *Rud. Act. II. Sc. 4. Trin. Act. 1. Sc. 2. Brem. l. c.*

§. IV. Hanc acceptionem in praesens nostram facientes nunc ex Politicorum principiis rem ipsam lucidius proponemus, ác omnium quidem primo disputabimus cum iis, qui peregrinationem e Republ sublatam esse, cupiunt, civibusqve eâ interdicunt. Nimirum exstiterunt olim & adhuc invoniuntur ejusmodi μισάνθρωποι, qui omnem pene cum hominibus, conversationem fugientes domum vel urbem suam vix unquam sunt egressi, atqve in eo maxime gloriati sunt, quod exteras Regiones oculis suis nunquam viderint. Ita namqve Aelianum Sophistam Rom. auctore Philostrato praedicare solitum, ferunt, nunquam se extra Italiam pervagatum, navem nunquum inscendisse, mare ne noviſſe quidem, & eo nomine in magna auctoritate fuisse, quod patriae moris in primis esset studiosus. De Pomponio Laeto Grammatico & Romanae vetustatis unico admiratore, legitur apud Fr. Polyardum, quod Româ pedem non nisi semel extulerit, cum scilicet ad Tanaim, ad investiganda ea, quae Straboni incomperta fuere, excurrit. Huc referendi etiam sunt Sinenses, qui quamvis opes plurimas, resqve pretiosissimas possideant, in tenebris tamen latere studeant, atqve ab omnibus elegantiorum hominum coetibus abesse cupiunt. Lacedaemonii vero omnibus sunt noti, quod non solum peregrinationes nullas suscepérint, sed peregrinos etiam omnes ex urbe sua excluserint: Ipsorum enim legislator Lycurgus, vagas peregrinationes, lege lata, sustulit, quod externos mores, ritus male formatos & instituta diversa invehi Spartam nolebat, quam quoque ob causam advenas in urbe citra necessitatem versari (teste Plutarcho) vetuit. *Vid. Theatr. Zwing. Volum. XXI. L. IV. p. 3885. Weisius in Orat. Polit. P. I. p. m. 156.*

§. V. Et est sane haec ratio satis speciosa, quam vero ea sit firma postea sumus visuri, quando prius reliquas à peregrinationis osoribus prolatas ratiunculas adduxerimus: Student enim illi suam

opinionem variis munire Argumentis, ac primo quidem nomen peregrinationis infame esse dicunt, idqve ex Ciceronis locis aliqvot, & ex Ulpiano, JCto probare conantur: Nam in Tusc. Q. Q. Cicero *exilium* cum peregrinatione confert, & in Ep quadam ad Coelium peregrinationem sordidam vocat & extenuat. Ulpianus vero *deportationem* eam nominat. Conf ea, quae §. 2, & 3 notavimus. Deinde objiciunt, peregrinantes bonis viris invisos esse, tanquam homines vagabundos, & qui nullo in loco commorari possunt, etiamsi causa honestissima emergendi sese illis offerat, undeos *planetas* ac *errones* nominant, quasi poenae loco id faciant & à Deo puniantur. Exemplo Caini, cui Deus maledicens, ait: Eum vagum super terram futurum.

§. VI. Porro clamant; Peregrinantes in Parentes & amicos, aut in uxores vel liberos suamqve patriam injurios esse, dum se ultro quodammodo ab his separant, sicut Propertius in Posthumum quendam invehitur, qvod vesana militiae cupiditate à dulcissima uxoris consuetudine sese abstrahi patiatur hac imprecatione.

Si fas est omnes pariter pereatis avari
Exquisquis fido praetulit arma thoro

Nec multo melioribus omnibus prosequi solemus eos, quibus majori voluptati est πλανᾶσθαι vagari, quam in patria conversationis suorum jucundissimâ usurâ frui. Hinc illud à Poetâ proditum accepimus:

ὡς ἐν γαίῃ μοι κεῖνοι ἦ ἀνὴρ καλῶς φρονεῖν
ὅστις πατρῴας γῆς ἀλμάζων ὄρος.
Ἄλλην ἐπαυρεῖ γῆν τρόπιν ἀδετον.

Nam summas in affectu partes jure sibi usurpat terra qvae genuit, inquit Sidonius Apollinaris.

lib. 8 Epist. 3.

Cic. lib. I. de Oratore.

§. VII. Et judice Cic. patria nos sui immemores esse, sinere non debet, Patria nos omnium maxime delectet: Cujus rei tanta est vis ac tanta natura, ut Ithacam illam asperrimis saxulis tanquam nidulum affixum sapientissimus vir Ulysses immortalitati ante posuerit, De qvo Ovid.

De Pont. lib. I. Eleg. 4.

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua Natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Quid

Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene sint clausae cavea Pandione natae
Nititur in sylvas quaeqve redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit,) antra petunt.

Scripsit encomium Patriae Lucianus, in qvo sic inter caetera. Si de urbium electione optioneqve ageretur, nemo profecto contemta patria alienum splendorem divitiasqve sequeretur, non quod illas non cuperet, sed qvod iis patriam suam ornatam vellet, qvam nihilominus qualiscunque esset cœteris anteponeret. Cari, inquit Cicero, sunt parentes, cari liberi, propinqui & familiares, sed omnes omnium caritates, patria amplexa est. Hinc multi cum Scaligero conditiones blandissimas & summos honores repudiant, si modo in patria manere liceat: Cum enim in Academiam Leidensem Batavi Josephum Scaligerum vocarent, omni ope, studio industriaqve per Baudium experirentur, conditionem tamen blandissimam, delatosqve summos honores Scaliger repudians longe antetulit amorem patriae, dum haec ad CL. Baudium rescripsit: Ego ,,vero qui in patria & cum patria, si opus sit, mori decrevi, nunqvam ,,animum inducere potui, quin miserabiles reliqvias meae patriae ,,qvorumvis integris rebus praeferam. *Baud. Epist. Cent. I. Epist. 25. p. 61.*

§. IIX. Ulterius conqveruntur peregrinantibus infinitos labores perferendos, nec de bonis tantum, sed de vita saepe periclitandum esse. Postea illud praecipue urgent, quod peregrinationes nullum habeant usum, nemoqve illis fiat melior, ut plurimum vero deterior. Nam ubi qvis in patria non fuit ante probe institutus, veraqve prudentia imbutus, non eam in peregrinis locis sibi acqviret, juxta vulgatos illos:

Parisios stolidum si quis transmittat asellum,
Si fuit hic asinus non ibi fiet eqvus.

Exemplis qvibus illud probent, non destituuntur, introducere enim possunt plurimos peregrinatores, qvi cum inter doctos, ubi de literis aut rebus aliis gravibus atqve utilibus sermo ortus est, sedent, qvovis lapide, pisceve muti magis inveniuntur. Interim v. in geniculationibus in digitorum praelibationib9, in vestitu versicolore, in pro-

pronunciatione peregrina & affectata in actione scenica, in exoticis aliis gravitatem prae se miram ferunt, cujusmodi histrionem eumq; Anglum gravide depinxit Thomas Morus in qvodam Epigramm.

Vid. Lansii Consult. de Princ. p. 12.

§. IX. Verum enim vero non sunt hae atqve aliae eorum rationes tanti momenti, ut nos commovere possint, qvo peregrinationem cum iis damnemus & ejus usu cives prohibendos esse judicemus. Nam qvod ad Exempla eorum attinet, qui nullas unquam peregrinationes habuerunt, existimamus non debere ex privato istorum hominum instituto & vitae ratione toti civitati vel Reipublicae leges praescribi, neqve omnes adigi oportere, ut ad eorum exemplum vitam suam instituant. Non enim eadem omnibus sunt bona & mala, salutaria & pernicioſa. Tum vero si exemplis res decidenda esset, introducere hic possemus, qvam plurimos viros & eruditione & dignitate qvam maxime conspicuos, qvi plurimum temporis peregrinando consumserunt, eaqve laudem ac gloriam summam sibi pepererunt. Quas enim regiones non perlustravit Pythagoras? qvem Valer. perfectissimum sapientiae opus dicit: Adiit ille primum Aegyptum, deinde pervenit Babylonem, hinc in Cretam regressus, Lacedaemona venit, postea in Italiam navigavit, Crotone per annos 20. consedit, tandem Metapentum se contulit, atqve ibi in tanto honore decessit, ut ex domo illius templum exstrueretur, & honores divini illi exhiberentur. Vid. elegantissimus libellus Johann. Schefferi de Nat. & Instit. Philos. Ital.

cap. 2. 3. 4. & 5.

§. X. Sed Apollonius ejus discipulus tanto Praeceptore non indignus longe plures terras peragravit. Persas accessit Magus & Philosophus pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiae regna lustravit & Phisone latissimo amne transmisso, pervenit ad Brachmannos. Inde per Elamitas, Babylonos, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palaestinos, reversus Alexandriam, perrexit in Aethiopiam, recte judicans, ubiqve inveniri quod discas, & ubiqve posse aliqvem meliorem fieri. Sic divus Plato Architam Tarentinum audivit, in ea parte Italiae, qvae qvondam magna Graecia dicta est: navigavit in Siciliam, ut crateres Aetnae videret, cum tamen apud Athenienses capitali lege cautum esset, ne qvis Graecorum eam insulam adiret. Profectus qvoqve est in Aegyptum, ut à

Fulgosus l. 8. c. 7.

γυμνοῖς

χωρίοις ejus regionis ſapientibus antiqvitatem perſcrutaretur, ut de Anaxagora, Anacharſi, Democrito, Hippocrate, Dioſcoride, Galeno, Homero, Herodoto, Diodoro, aliisqve viris ſapientia & doctrina praeclarisſimis nihil dicam. Ut etiam non introducam Monarchiarum fundatores & maximorum gentium victores, ac Imperatores, qvorum praeclara facinora qvae peregrinando fecerunt apud Hiſtoricos celebrata legi poſſunt. *Victorium l. 21. var. lect. cap. 18.*

§. XI. De Aegyptiis ſolum addo, qvod magnis in laudibus fuerit apud eos, ſi quis unam vel alteram peregrinationem ſuſcepiſſet, contra vero in contemtu fuiſſe omnes eos, qui ne ſemel qvidem extra patriae limites pedem moverant, imo ejusmodi hominem Hieroglyphico capitis aſinini repraeſentaſſe. Et eſto lege omnes vetitas apud Lacedaemonios fuiſſe peregrinationes, ipſe tamen qui vetuit Legislator Lycurgus longisſimas inſtituit. Vid. Theatr. Zvvingeri. *Weiſius in Orat. Polit. l. c.* *Vol XXI. L. 4. p. 3881.*

§. XII. Audio tamen peregrinationis nomen eſſe infame. Ergo & ipſa peregrinatio ignominiam habebit? quae ſequela? ipſum ſanctisſimi Dei nomen tribuitur vanis peſſimisqve idolis: ſed num propterea Deum ens inane & nihilum dicámus? abſit. Notat ſane peregrinatio quandoque exilium, ſed *improprie* & ob aliqualem inter res ipſas convenientiam. Ad locum Ciceronis notamus, quod ille de peregrinatione perpetua loquatur, quam nos cum illo culpamus & ſordidam eſſe concedimus. Nam qui perpetuo peregrinatur, nec in patriam, à qua abfuit aliquandiu, redit, vel alium locum ſibi eligit ubi quieſcat; & commodis ex diuturna peregrinatione perceptis fruatur, ab exule vix differt; cumqve in patriam & ſuos, quos aut conſilio aut reipſa juvare poterat, injurius ſit, infamis loco merito habetur. Sic quoque Ulpianus loquitur de perpetua peregrinatione, quae morti ſimilis eſt. Nam deportatus Civitatem amittit & pro mortuo habetur. Quod vero & in bonam partem peregrinationis vocabulum accipiatur, multis doceri poſſet exemplis, quae tamen brevitatis cauſa hic praeterimus.

§. XIII. Porro bonis inviſos eſſe peregrinatores negamus omnino de iis, qui comite virtute prudentiaque duce peregrinationes inſtituunt. Exempla enim allata Virorum praeſtantiſſimo-

rum contrarium loquuntur. Concedimus vero de ejusmodi erronibus, qui per orbem terrarum vagantur, vel ut à laboribus, quos domi sustinere cogerentur immunes sint, vel ut pravis cupiditatibus (quod domi illis vix impune liceret) frenos egregie laxent; omnibusqve se vitiis inquinent. Hi atque alii vagabundi merito omnibus in odio sunt & non modo nusquam ferendi, verum etiam ubique funditus extirpandi sunt. Et hac adhibita limitatione tantum abest, ut concedamus eos, qui peregrinatione non abuntuntur, in suos peccare, ut existimemus, iis quam maxime eo ipso commodare.

§. XIV. Quod quarto loco adfertur negari non potest. At vero non sequitur inde peregrinationem intermittendam esse. Nam labores quod concernit, ad eos nati sumus, ut aves advolandum; tum vero labores felicitatis sunt parentes. Qui ergo labores fugit, fugit quoque felicitatem Quo plus laboris atque oneris, plus erit honoris; Quo plus incommodi, plus brevi erit commodi: Quo plures dantur molestiae ac difficultates, plures, iis superatis, sequentur fructus. Omnium rerum ea est conditio, ut non sine labore ac difficultate comparentur. Sic enim natura, abstrusit pulcherrima quaeque in ipsa terrae viscera, rosas circumsepsit spinarum aculeis. Quare muni, obfirma animum adversus illas molestias, quibus superatis, consequeris gloriam immortalem, inquit Joh. Manlius. A periculis vero ne domi quidem tuti sumus: neque etiam sine periculo fit facinus magnum & memorabile. Quare & contra hæc obfirmemus animum. Memores istius Graecorum proverbii: χαλεπὸν καὶ θαυμάσιον τὸ καλόν.

in L. C. Collect. p. 547. seq.

§. XV. In quinto Argumento, quod omnium speciosissimum est, & experientiam adjunctam habet, utilitas peregrinationis impugnatur. Ubi certe concedere cogimur, plurimis idem ferè accidere, quod illis qui loca fœtida transeunt. Ut enim hi malignum odorem secum trahunt, ita incauti perigrinatores ex consuetudine cum pravis hominibus non nisi pravos mores assumunt: Unde Belgis adagii loco est illud: Neminem ab ancipiti diutinoqve morbo aut periculosa peregrinatione meliorem fieri. Et Itali de Germanis ad se pervenientibus illud in ore ferunt: Tetdescho Italianato Diavolo incarnato. Inde tamen induci non possumus ut

culpam

culpam in peregrinationem conferamus ; verum homines ipsi sunt incusandi, qui antea, quam peregrina loca adeunt, non prius animum virtutibus prudentiaqve civili bene obfirmarunt.

§. XVI. Neque enim existimandum quemlibet sine discrimine ad peregrinandum aptum esse. Ut enim Aristot. idoneum Auditorem ad Doctrinam Ethicam percipiendam requirit: ita non nisi delectis & idoneis hominibus peregrinationes concedendas esse putamus. Hic v. non contendam multis quae aetas, sexus & institutio corporis in peregrinantibus requiratur. Natura namque ipsa dictitat, infantes, senes, mulieres, & eos, qui infirmo corpore sunt, ad peregrinandum minus idoneos esse. Sic quoque furiosos & insanos ad id ineptos esse nemo non videt. Itaq; solum nunc ostendam, quibus rebus instructus peregrinator esse debeat, si recte & cum fructu peregrinari cupiat. Excellentissimus Clasen: haec quatuor in eo praerequirit (1) Animum virtutibus probe excultum, ne exteroram vitiis corrumpatur, (2) Cognitionem doctrinae civilis ut possit alibi judicare, qvo pacto ibi institutio Reip. se habeat, (3) Amorem erga Patriam, ne nimium pretium rebus peregrinis statuat, & res patrias negligat vel vilipendat. (4) Notitiam suae Reip. in qua ipse natus est & educatus, ut ea quae apud exteros percepit, ipsi aliquando prudenter possit accommodare, modo illud status patiatur.

L. I. Eth. ad Nicom. c. 3.

Compend. Polit. Prolog. p. 17.

§. XVII. Sed praeter haec sunt etiam alia, quibus bonum peregrinatorem imbutum esse oportet. Nempe ante omnia necesse est, ut solidiore Religionis intellectu animum adversus peregrinationum hodiernarum pericula obfirmet. Sacras literas sibi reddat familiares, indeqve suae fidei rationes reddere discat, ne quavis aura peregrina afflante, huc illuc fluctuet, suaeqve in scitiae poenas det, non sibi modo, sed seculo fatales. Conducet quoque ei, si prius addiscat lingvam ejus gentis, in qua utiliter velit versari. Magis vero ei erit necessarium, ut Historiam Gentium habeat cognitam. Et cum haec vel loca describat; vel familias recenseat; vel mores & Remp. interpretetur vel tempora & fortunam rerum gestarum serie configuet, vel memorabilia alia exhibeat; nihil ex his praetermittat qui Studiosi Peregrinatoris munia meditatur.

§. XIIX. Et in Historia locorum sive *Geographia*, *Globo* & Map-

pis sine quibus nihil satis clare hic apparebit, *Mathematica* intelligentia uti discat, cujus studii illum fructum feret, ut discernere possit ejusdem Regionis varias *descriptiones*. Non enim sufficerit Atlantis illius humeris, cui hodie terrarum orbis onus Imposuerunt, secure confidere, cum plurimae Tabulae, aliunde requirendae sint, in quibus Geographia illa publicis voluminibus celebrata emendatur ac suppletur. Sed in *Itineriis*, quae non Geographiam modo, sed multa de rebus scitu dignis pollicentur, caute versetur, inserunt enim se illis libris *favores & odia* praeconceptae domi de peregrinis populis rebusqve opiniones. Imo multa Fabulis, superstitione ambitioneqve philosophandi sunt corrupta.

§. XIX. Deinde familiarum cognitio non est intermittenda Peregrinatori, cum multum interfit ei ad pericula quædam declinanda vel ad subsidia reparanda in numerato habere nobiles familias, earumque praerogativas, *ac in Principum quidem familiis*, Verba sunt celeberrimi Bœcleri in Elegantissima Dissert. de Peregrinatione Germanici Cæsarii p. 18. *etiamsi sequestrentur adulatorum inventa, & eruditorum quorundam inepiae latet arcanus civilis in orbe commercii contextus: qui inter discordes animas & dissociabilia studia, increscentemque quotidie pereundi perdendique lubidinem suis quibusdam vinculis ex divina decreto providentia, quantum ultima ferre possunt tempora adversus omnimodam dissolutionem valebit, opinor, atque perennabit. Imque nec divelli potest, si quis seria peregrinationis subsidia circumspiciat.*

§. XX. Porro antiquitates & memorabilia cætera, si ex libris typisque aeneis peregrinator præcognoverit, insigne subsidium habebit memoriae, tantaqve feliciori cognitione oculis praesentia subjiciet illa antiquitatis & artis miracula. De annalibus cujusque Gentis ante peregrinationem legendis obvia sunt eruditorum virorum monita: versantur in omnium manibus scriptorum indices, & consignati in hos usus tituli. Prope est, ut miserum dicamus peregrinatorem, certe, operi suscepto imparem, qui de usu Historiarum & lectione tum demum admonendus est, cum tota quodammodo peregrinatio disciplina Historica sit; quæ & nova cottidie cognitione animum imbuat, & res ante cognitas altius in-

figat

figat. Denique in reliquis etiam Disciplinis & artibus Philosophicis, nec non in Juris prudentia & Arte Medica, prout magis profecerit, peregrinator ita fructus etiam suae peregrinationis percipiet majores ac uberiores.

§. XXI. Cœterum quilibet pro scopo suae peregrinationis, quem sibi mature præfigat, iis studiis, qvæ ad eum proximè faciunt, majorem operam & diligentiam impendat. Hic vero varius esse potest: alius simplex alius vero multiplex & quasi compositus, & hic præcipue iterum vel minus principalis & subordinatus, vel principalis & ultimatus. Ita potest quis extra patriam proficisci, ut vel in Theologia, vel in Jurisprudentia, vel in Medicina majores faciat profectus, vel ut linguas exterorum penitius imbibat, quomodo Andreas Alpagus Bellunensis Medicus in Syriam navigavit, ibique per triginta & amplius annos commoratus linguae Arabicae Damasci operam dedit, & non pauca Arabum volumina & inter ea Avicennae quoq; Opera in latinum sermonem convertit. (Nic. Massa in vita Avicennae) Eundem scopum suae peregrinationis habuit Nic. Clenardus: qui propterea in Mauritaniam profectus ut Lingvam Arabicam tanto accuratius cognosceret. Vid. Praef. Vossii ad Inst. L. Gr. Et quis omnes omnium fines simplices recensebit.

§. XXII. Aliorum vero propositum & scopus longe se amplius extendit, & per omnia civilis vitae praesidia ac ornamenta se porrigit, itaqve sunt illis hi enumerati, alliqve solum minus principales & subordinati, qvos non intendunt, nisi ut tanto felicius ultimatum & principalem, prudentiam scilicet recte ordinandi ac gubernandi Rempublicam, sibi acqvirant. Hi omnino plurimarum artium scientia opus habent qvam illi. Imprimis autem instructi esse debent prudentia civili, aureo scil. illo ramo cujus ope non inferorum regna, qvae Poetae finxerunt, peragrare, sed totius mundanæ civitatis spatia, tuto, feliciter, utiliter confidere possunt.

§. XXIII. Ita nunc cognitis iis qvibus peregrinantem intentum esse opportet, antequam ingrediatur iter, nunc porro etiam modum, rectamqve peregrinandi rationem ostendere deberemus sed

non permittit angustia pagellarum, ut ex dignitate hanc materiam explicemus. Itaqve peregrinationis studiosum remittere hic cogimur ad alios, qvorum opera utatur. Imprimis vero commendationem meretur antea laudata doctissima, Dissert. Joh. Henr. Bœcleri, qvi Vir ut Doctrina atqve optimarum artium Studiis non volgari modo fuit eruditus ita in hoc themate praeclaram & singularem suam eruditionem egregie demonstravit. Deinde etiam adhiberi potest Excellentissimi Conringii Disp. de hoc ipso argumento. Conferri qvoqve meretur Georgii Loysii Pervigilium Mercurii, in qvo praestantissimæ peregrinantis virtutes non inscite sunt depictae. Neq; praetermittenda elegantissima praeclari Illius Belgii luminis & elegantioris eruditionis principis, Justi Lipsii Epist qvam ad nobilissimum Juvenem Philip. Lanoyum scripsit. Addantur deinde Hieronymi Turleri Libri duo de peregrinatione & Agro Neapolitano, & evolvatur Compend. polit. Classenii itemqve Christophori Pelleri Politicus sceleratus, aliorumqve politicorum scripta.

§. XXIV. Nos ex his solum concludimus quod, si Peregrinator, ea qua diximus scientia sit munitus, & secundum istorum præstantissimorum virorum regulas cum virtute & prudentia in itinere versetur. Fieri non possit, ut non multiplicem ferat peregrinationis suae fructum. Ut proinde valde iniqui, sint peregrinationis censores, qui eam reipublicae magis noxiam quam utilem dicunt. Nobis enim hic non esset difficile, utilitatem peregrinationis per universam rerum naturam sparsam esse demonstrare, ac ostendere nullam partem actionum humanarum reperiri, quæ peregrinatione juvari non possit.

§. XXV. Nam, ut ab inferioribus, iisqve artibus, qvae sordidae alias dicuntur, initium faciam, nemo nescit, eas pro sua diversitate, in uno loco melius exerceri, qvam in alio: ut eas accurate nemo addiscere qveat, nisi qvi ea loca adeat, ubi peritos earum Doctores nanciscí potest. Qvantam utilitatem Architecto adferat peregrinatio Vitruvius docet; qvantam militi Vegetius; Pictori autem vel statuario qvantam, eqvi Fidiæ & Praxitelis arte fabricati, testantur adhuc Romæ in Qvirinali cum aliis Colossis

statuis

ſtatuis ac picturis, qvas nullus artificum aſpicit, qvi non idem eas admiretur, & inde abeat doctior. De mercatura dubium eſt nullum, qvod ea peregrinatione quadammodo alatur.

§. XXVI. Humanitatis ſtudia inſpiciamus, qvae Philoſophiae nomine comprehenduntur, & reperiemus illa antiqvitus ab Ægyptiis aliis Gentibus perdiſcenda fuiſſe, poſtea in Europam translata, longo tempore in Graecia habuiſſe ſuas ſedes, qva in Italiam migrarunt, & ex hac porro in alias Europae noſtræ Regiones qvaſi in colonias deducta ſunt. Qvis autem negat ex Philoſophia utilitatem percipi ſolere, & eam olim in Graecia adeo floruiſſe, ut ſtudio perdiſcendi illius omnes undiqve tanqvam ad mercaturam qvandam in eam Regionem proficiſcerentur? Id qvod Plutarchus indicat, dum ait: *Homines nullos eſſe, niſi mare eſſet, quo in Graeciam navigaretur.* Judicabat enim vir gravis ac ſapiens, nullos appellandos homines, qui non itidem Philoſophia exculti eſſent: quod ingenium ac cultura animi homines faciat, non forma ac figura hominis.

§. XXVII. De Poetarum ſcriptis nihil attinet admonere, ſunt enim quædam in his ejusmodi ut neque ulla orationis ubertate ac contextu ita effingi queant, neque interpretum diligentia ita explicari quin aſpectum potius deſiderent. Hiſtoriarum cognitionem & adjuvari & augeri poſſe peregrinatione ita manifeſtum eſt, ut facile aſſentientes me habiturum eſſe credam, ſi peregrinationem praecipuum medium ad cognoſcendas Hiſtorias dicam. Scitum illud eſt, quod interroganti cuidam, ecqvid tantum operae hiſce rebus impenderet, reſpondiſſe fertur velle ſe reſuſcitare mortuos, recte judicans multa intercidiſſe antiquitate temporis, quæ peregrinationis diligentia inſtaurari, & per homines literatos ab oblivionis injuria vindicari poſſint. De Cosmographia & Topographia vere dicere poſſum, nullam eſſe, niſi peregrinationis beneficio nobis concederetur. Ad cognitionem naturae, aliarumqve rerum qvantum peregrinatio conferat, nimis longum eſſet hic docere.

§. XXIIX. Multa alias etiam ſunt, quae peregrinationem commendant; ex quibus unum hoc ſolum adduco ipſum Deum

Pere-

Peregrinationum Auctorem extitisse Si enim evolvamus S literas nō Abrahamum solum, a Deo expresso mandato, ad relinquendum solum patrium excitatum fuisse deprehendemus, sed sanctos Dei homines, jussu & impulsu Dei, in universum terrae orbem exisse, videbimus. Quid Poetae de Aenea, à Mercurio, Ulysse, à Somno, ac aliis heroibus, ab aliis diis ad peregrinandum incitatis fabulantur, hic consilio praeterimus, & id potius urgemus, qvod sapientissimus Deus, dum nullum locum adeo fertilem, nullam provinciam adeo frùgiferam, nullam denique regionem adeo felicem esse voluit, quae non indigeret auxilio alterius, eo ipso ad peregrinationes suscipiendas homines instigare voluerit.

§. XXIX. Proinde permittere nemini possumus, ut peregrinationes omnes sine discrimine damnet, & vagas ac inutiles discursationes nuncupet. Nobis enim peregrinatio est labor invisendi & perlustrandi alienas terras ab homine idoneo susceptus, ut vel scientiam cujus desiderio flagrat, vel artem quam exercere cupit tanto accuratius addiscat, vel denique ex moribus & Regimine aliorum populorum eam sibi prudentiam acqvirat, qva Reipublicae patriae, vel alienae etiam civitati, adeoqve sibi ipsi prodesse possit.